

Causas  
Amiffæ Majestatis  
ODIUM & CONTEMPTUM  
MARIÆ STUARTÆ,  
SCOTORUM OLIM  
REGINÆ,

*In congressu disputantium exponent,*

PRÆSES

M. CASPAR HENRICUS GRAUN,

Strignicenf. Mifn.

&

RESPONDENS

CORNELIUS HENRICUS LINDNERUS,

Lommaciens. Mifn.

*D. XIII. Octobr. Anno M DC LXXX.*

*H. L. Q. S.*

WITTENBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.





ill  
fer  
tis  
he  
ob  
ex  
fac  
sta  
lan  
tan  
ret  
sap  
cau  
tan  
fi in  
tea  
den  
mu  
cau  
ma  
pop





I.

**D**Uas fœminas una ætate viderunt homines, & locorum & sanguinis propinquitate conjunctas & pari aliquando dignitate præditas, sed impari planè fortuna usas, ELISABETHAM, & MARIAM; quarum illa diutissimè regno Anglorum præfuit, & summa felicitate illud administravit, hæc verò cum Scotis aliquot annos imperasset, postremo dignitate excidit, & in exilium ire compulsæ, multisque miseriis confecta, exitum vitæ habuit indignum, & vehementer luctuosum. Utriusque fortunæ causas perquirenti obtulit se ex una parte amor & auctoritas, apud cives pariter, & exterarum nationes, ex alterâ vero odium & contemptus, quibus factum est, ut præceps iverit MARIA, & summam regni potestatem denique amiserit. Nam sicuti ille recte sensit, qui nullam potestatem tutam esse confirmavit, nisi benevolentia munitam; neque imprudenter Severi mater præcepit filio suo, caveret, ne auctoritatem perderet suam: sic à principe philosopho sapientissimam sententiam proditam accepimus, duplicem esse causam interitus tyrannorum, odium atque contemptum. Quod tamen ita neque volumus, neque etiam debemus usurpare, quasi infelicem fœminam tyrannidis ream à nobis quoque fieri oporteat, aut existimandum sit, id nulli horum contingere, qui prudentia destituti rem publice & privatim male gerunt. Sequimur enim homines doctos, & civilium rerum peritos, qui has causas allegant imperiorum sæpe mutatorum, & calamitatis maximorum regum & principum, qui cum auctoritate & amore populi regnum simul & vitam amiserunt. Igitur quoniam de

A 2  
exilio



exilio & ærumnis **MARIÆ** constat universis, de eo vero non est dubium, quod & odio pergravi, & contemptu laborârit, nihil superest, nisi ut solliciti simus, unde illa mala sibi accersiverit, quibus implicata tantam postea fecit jacturam: cujus quidem rei nulla in nobis erit mora, si breviter ea, quæ ad totum negotium luculentiùs planiusvè cognoscendum faciunt, exposita & narrata fuerint.

## II.

**MARIA STUARTA** Patre **JACOBO V.** intra sextum quam nata erat diem orbata, & paulo post in Galliam abducta fuit, ubi moribus & religione, quæ florebat in isto regno, imbuebatur, & **FRANCISCO II.** in matrimonium collocabatur, Anglo frustra illam filio suo desponsare cupiente. Sed cum rex maritus ejus in ipso ætatis flore diem obiisset supremum, in Scotiam denuo redire constituit, factionibus turbatam semper, & seditionibus obnoxiam, neque multo post perfamiliariter usa est **Rizio** quodam, quem è tenui fortuna ad summas divitias & auctoritatem perduxit, nupsitque **HENRICO STUARTO** **Levinæ** Comiti. Utroque autem, & **RIZIO**, & **HENRICO** interfectis, nuptias cum **JACOBO HEBURNO** **Bothvelii** Comite fieri curavit, indignantibus cunctis, & aperte bellum molientibus, cujus hic fuit exitus, ut regina caperetur, & in arcem, quæ est in **Lacu Levino**, in custodiam daretur, regnum ejerare compulsæ. Liberata nihil reliqui fecit, ut pristinam dignitatem recuperaret, sed unicum adversum prælium res ejus fregit, inque apertum periculum reginam conjecit, nisi se in Angliam ad propinquam **ELISABETHAM** recepisset, Aqua primo liberaliter habita, inque spem aliquam erecta, deinde arctiùs custodita, ad postremum, populo supplicium ejus flagitante, securi percussa est, indignoque mortis genere vitam finivit.

## III.

Hæc quidem de **Scota** memoriæ prodita accepimus; nostrum est percensere causas, quibus intervenientibus **Scotorum** pro-



procures eo tandem processerunt, ut contemptam eam atque  
exosam omni dignitate spoliarent, & captæ regnum adimerent:  
Primo omnium de religione dicendum est, quam & Aristoteles  
valde requirit, & alii permultum conducere existimant ad au-  
ctoritatem & amorem principi conciliandum, cui homines  
propterea quoque minus insidiaturos esse dicunt. Igitur si  
quis aut plane religionem negligere videtur, aut diversam pro-  
fitetur ab illa, cui cives dediti sunt, quibus ea de causa pericu-  
lum sæpe metuendum est, hunc universi oderunt eo acerbius,  
quo constantius opinionem suam de sacris tuetur, & aliorum  
sententiis adversatur. Quod HENRICUS MAGNUS olim  
fuit expertus, avus LUDOVICI XIV. cui non licebat digni-  
tate regia, quam ille quidem jure adeptus erat, frui, nisi illam,  
quam defenderat hactenus, religionem ejeraret & Pontificem  
agnosceret denuo. Quid ELISABETHA? utor enim libentiùs  
tali exemplo, quod propius ad caput disputationis nostræ ac-  
cedit; quanto majori in periculo futura fuisset illa, si odia im-  
proborum, qui indigne ferebant religionem immutari, non vi-  
cisset amor optimorum civium? At memini quoque, Principes  
Electores propterea, quod alienas cœpissent amplecti sacrorum  
rationes, pulsos ditione, omniqve dignitate exutos fuisse.  
Idem haud dubie multum de favore multitudinis Scotorum de-  
traxit, quo complectebantur prius reginam suam, quod illa ni-  
mis studiosa videretur Catholicæ religionis, neque libenter  
concederet, illam repurgatam indies crescere, & tam late  
disseminari, extincta prisca superstitione. Quid putatis in a-  
nimo fuisse Scotis, cum vox reginæ ad illas perferretur plena  
crudelitatis, & terroris: velle se aliquando ejusmodi viam  
insistere, quam ingressa sit nuper MARIA HENRICI  
VIII. filia? Sed hæc quidem nihil prætermiserat, quod ad  
extirpandam doctrinam eam faceret, quæ nuper erat intro-  
ducta, multosque propterea immanem in modum trucidati  
jusserat. Igitur juvarent illam, à qua exitium expectarent,  
& non potius sublatam cuperent? Mihi certe poste-  
rius, videtur multorum animis tunc insedisse, præsertim



cum accenderent voluntates anxiorum homines ambitiosi, & studium religionis suæ libidini prætexerent. Vixit illa ætate Georgius Buchananus, scriptor & elegans, & prudens, & in quo nihil desiderares, nisi fidem: cuius certe culpæ, siquidem in eo fuit, causam non reperio, nisi studium erga Moravium, & odium adversus reginam propter religionem susceptum: nam & ipse aliquando in periculum venit, regnante adhuc Jacobo patre, & ægre illud per fenestram evasit; ut adeo mirum non esset, cum, dum dolori plus justo indulget, acerbius quædam de Maria tradidisse, in quibus auctori parum tribuitur, multumque à compluribus hodie dubitatur. Vellem ego si non alienum foret à meo instituto, nunc ostendere, quam non modo exilii, sed capitalis etiam supplicii vel causæ, vel prætextus, ex odio religionis in nostram fuerint excogitati, cum quidem Angli negarent, consuli posse religioni, nisi captiva interficeretur.

IV.

Sed alia sunt potiora, de quibus commemorare institui-  
mus, videlicet cura reipublicæ, & artes imperandi, quæ benevo-  
lentiam subditorum mirifice augent, & magnificas opiniones de  
principe conceptas non mediocriter confirmant: sed absentibus  
illis non est, cur favorem à multitudine expectent, aut se magni à  
civibus æstimatum iri confidant. Chilpericus Francorum rex ja-  
cturam dignitatis fecit, cum quibus imperare vellet, eos regere  
non posset. Alenconio fuit in manu principatum Belgii pari,  
qua acceperat conditione obtinere, sed cupidus potentia solutio-  
ris, neglecta publica salute, populi morum, cui præerat ignarus,  
gratiam apud cives, imperiumque simul amisit, magnaque infeli-  
cium cœptorum infamia laboravit. Parum aberat, quin eandem  
in calamitatem incideret frater ejus Henricus, tanta erat hujus  
regis in administrandis reipublicæ negotiis ignavia & socor-  
dia: neque propriæ salutis studiosior vix intentatum pericu-  
lum effugere potuit, & fractam auctoritatem ægre stabilivit.  
Imprudens longe Adolphus Nassoviensis, & propterea quo-  
que infelicior, qui ne utique par sustentandæ imperii moli, di-  
gnitate uno tempore, & vita privatus fuit ab Alberto Austro  
successore. Numquid igitur nobis vitio vertet, si dicamus, defu-  
isse



isse Mariæ istas artes, quibus reipublicæ status ordinatur, & principis existimationi consulitur? Non opinor. Nam ea inter homines factiosos, qui & suam potentiam augere cupiebant, & regum licentiam oderant, haud ita se gessit forsitan, uti par & utile videbatur, neque secuta est propinquam suam, à qua potuit exemplum capere. Angla enim publicæ salutis, & regiae dignitatis observantes promovere, omnibus modis conciliare, illos vero, à quibus metuebat sibi, in officio continere, & nonnunquam perdere solebat; factiones & civiles dissensionibus, quæ reginæ non minus, quam regno exitium minabantur, prudentissime componebat, in lucem protrahebat, suamque securitatem procurabat; nemini favebat ita, ut ceteri juste inviderent, neminem prosequeretur odio, ut illud injuste fieri homines existimarent. Nihil horum STUARTA, sed interdum reipublicæ negotia negligere, interdum tamen ita suscipere, ut civibus indignatio moveretur; hostium conatus non comprescit, sed sæpius confirmavit, ortis à se variis occasionibus, quibus ambitiosi homines utebantur. Acris illo tempore contentio vigeat inter partium duces, quorum aliqui arbitrium rerum captabant, aliqui vero his obviam ibant, & ipsi florere dignitate & opibus volebant. Inter hos, cum neutri ex animo salutem reginæ studerent, illa tunc quidem destituta fuit, & quoniam se expedire nequivit, in exitium incidit; quod eo minus mirandum est, quo magis odia factionum auxit, nonnullis plus æquo indulgens, & cæteris invidiam movens, & sibi, & aliis calamitosam atque funestam.

V.

A publicis ad privata nunc veniamus, & quid è vita domestica ad principes redundare soleat, perquiramus studiose: quæ quidem quo magis ad virtutem accedit, tanto honoratior est is, qui ita vivit; contra flagrat odio & infamia, nec ab exteris modo, sed à subditis etiam contemnitur, cujus vita contaminata est flagitio & scelere. Solent enim



enim homines, ut Seneca ait, omnia facta dictaq; principum,  
excipere, & æstimare, ut non magisquam sol, occultari &  
latere possint. Hinc, Plutarchus inquit, in vitam eorum in-  
quiritur, neque solum de publice dictis & factis ratio illis  
reddenda est, sed de iis omnibus etiam, quæ domi peragunt,  
& privatim suscipiunt. Ut recte adeo sententiam suam de la-  
raverit princeps philosophorum, homines, quorum vita im-  
proba & polluta habetur, contemni, multasque occasiones  
insidiantibus præbere. Quid Sardanapalo acciderit, notius  
equividem est, quam ut à me commemorari nunc debeat. Wen-  
ceslaum compulerunt principes ad imperium abdicandum, pro-  
pter turpissimos mores, vitamque nefariam, omnibus exosum  
& contemptum. Ante illum multi Imperatores Romani vi-  
xerunt improbe & flagitiose, sed & poenas dederunt neglecta-  
rum virtutum, imperioque exciderunt. Orienti autem qui  
præfuerunt, cum diffluerent vitiis domi, magnamque infami-  
am sibi conciliarent, cæteris exemplo fuerunt, & illos edocu-  
erunt, quantæ calamitates inde soleant nasci, & ad auctores  
ejusmodi pervenire. Itane vero, dixerit aliquis, STUARTA  
cum beluis istis comparanda erat? nihil igitur superest, quo  
efficiatur, ut minus infortunium pro merita existimetur? Non,  
ego quidem infelicem reginam accusabo, aut sceleris arguam,  
cum invidia, quæ sæpe è rumore nascitur saltem, regibus no-  
cere queat, præsertim cum inimici odium accendunt, & alte-  
rius infamiam rebus suis conducere existimant: Sed nec ha-  
beo, quo omni plane culpa istam liberem, neque præter de-  
corum quicquam fecisse evincam. Reperiuntur non pauci, qui  
luxuriam præcipue, & libidinem STUARTÆ objiciunt, &  
violuptatibus deditam fuisse non dubitanter affirmant:  
cujus rei tanquam potissimum argumentum proferunt insa-  
num erga Rizium quendam amorem. Qui homo sinistris  
auspiciis in Scotiam appulit, & multarum reginæ miseri-  
arum causa fuit. Nam ubi primo animum ejus cepit,  
& aliquem gratiæ locum tenuit, mox ille magis se in-  
sinuare, unus amari, unus in honore esse, cæteris post ha-  
bitis,



bitis, & præ illo contemptis. Igitur universos malè habebat  
repentinus hominis, tantum non mendici, ad opes non me-  
dioces progressus, & supra virtutem fortuna, supra fortunam  
arrogantia, & æqualium contemptus, & cum superioribus  
æmulatio. Quâ ex re dici non potest, quantum invidiæ sibi  
regina conflaverit, quæ magis etiam incendebatur, cum &  
erga mortuum amorem suum & studium declararet, propeq;  
MAGDALENÆ VALESIAE, paulò ante Reginae, in ample-  
xus daret, eademq; ejus acerrimè vindicaret. Valebant ista  
nimirum ad indignationem universis movendam, quam pari  
ratione subierunt Filius & Nepos ejus, & HENRICUS III.  
Galliarum Rex, cum ad hunc modum se gererent aliquando,  
& singulos universis præferrent longè. Sed hoc gravius ce-  
cidit miseræ, quod adultera ex eo credita est, sive non carue-  
runt omni ratione opiniones hominum, sive ab inimicis il-  
la labe MARIÆ fuit aspersa, ipsa occasionem videlicet præ-  
bente.

## VI.

Hanc invidiæ tempestatem secuta est longè atrocior, cum  
DARLÆUS non multò post crudelem in modum necatus re-  
periretur, & non deessent, qui Reginam cædis insimularent.  
Fuit is juvenis omnium ætatis suæ longè formosissimus, & à  
MARIA propterea adscitus, ut uno tempore Regis & mariti  
nomen adipisceretur: sed litibus deinceps exortis, cum inso-  
lentiam Davidis ferre non posset, illum interfici curavit, &  
vicissim nocturno tempore interfectus est, magno populi do-  
lore & miseratione. Hic ego nunc non disputabo, utrum  
Regina pro cædis auctore sit habenda, an consilium tam indi-  
gni facinoris à Moraviæ & Mortonii Comite sit profectum:  
mihi sufficit, quod hostes ejus nihil reliqui fecerint, quo cru-  
delissimi facti infamiâ illam onerarent, odiisq; gravarent, cum  
quidem omnia studiosè conquirerent, ut Scotis non modò,  
sed etiam Anglis persuaderent, nemini crimen illud oportere.

B

re



retribui, nisi STUARTÆ, quæ maritum necârit. Jam, me etiam tacente, cuius apertum est, quomodo homines, quibus ita persuasum erat, erga illam fuerint affecti: ferrent improbam foeminam, tam nefando parricidio contaminatam? & non potius operam darent, ut pulsa fugataq; dignas scelere persentisceret poenas, neque pristinae dignitati restitueretur, quod eo periculosius esset, quo minus fidendum tali Reginae, quæ tam atrox nefas non exhorruerit.

## VII.

Hæc sine dubio fuerunt gravia, & multum ponderis habuerunt, ad demendum illi populi favorem: sed interdum leviora quoque regibus obsunt, & pessimam in partem accipiuntur, cum eorum persona talis sit, ut minima quoque vitia pro summis ostendat; igitur sapienter censuit Plutarchus, quod sicuti verruca molestior est in facie, quam alia corporis macula forte, sic exigua peccata, quando in principis vita gestisq; deprehenduntur, pro magnis habeantur. LUCULLUS malè audivit, quod cœnaret sumptuosius; alteri vitio datum, quod caput uno digito scaberet, quod quantum sit, nemo est, qui non intelligat. Fuit aliquis, qui dum ludo se oblectat, contumeliam accepit; alius spretus est, quod veste nimium vili esset indutus; BAJAZETHES II. ob literarum amorem sibi parum convenientem: & is certè, si pro eo, quod Sophisticas nugas amabat, rempublicam gessisset majori industria & fortitudine, auctoritatem suam stabilivisset, neque imperio fuisset exutus forte; nam ex illis contemptus & odium, ex hoc verò studium populi & militum expectanda fuerunt. Qualis de JACOBO VI. fuerit hominum opinio, propter eandem ferè causam, non est, credo, valdè obscurum, neque à nobis commemorari nunc debet. At matri hujus, MARIE STUARTÆ, epularum luxus nocuit, tum quod sæpe familiarius se gereret, quam tantam  
RE-



REGINAM deceret, in quo tamen Principes auctoritati suæ consulendum esse ducunt, hodieq; apud nationes quasdam rarò se conspiciendos præbent, ne continuus aspectus minus verendos eos faciat. Nihil horum nostra, sed interdum cum tali comitatu visa est, ex quo non posset non indignatio & contemptus oriri; cumq; DARLÆO necato, publicum vitare debuisset, ut mos est in Scotia, mox à multitudine conspecta est, non sine exprobratione, & sinistris rumoribus. Plura hujusmodi præsto essent, si nobis ita videretur, quæ omnia ab auctoribus observata & prodita sunt, mentione simul facta, quam graviter illa omnia tulerint Scoti, quamq; tales REGINÆ mores & actiones parum honestas perosi fuerint.

### VIII.

Quæ tamen haud eo proferuntur à nobis, quasi potiora non haberemus; nam sunt adhuc alia, quorum breviter mentionem facturi sumus, ut nuptiæ, quibus odio pariter & contemptu se implicavit Scotorum REGINA. Ubi ne soli id obtigisse MARIÆ quis existimet, ERICUM Svecorum Regem prætermittere non potui, qui conjugem parum se dignam in tanto fastigio prope se collocavit, & magnam infamiam eo facto sibi conciliavit, & regiæ potestatis jacturam postea fecit. Sed nostræ quidem secundæ nuptiæ, quas contraxerat cum HENRICO Levinia Comite, non infames adeo fuerunt: tamen fortunæ ejus haud satis convenire videbatur, quod quæ maximo fere totius Europæ regum nuper Marito fruebatur, nunc talem sibi deligeret, cui ipsa Ducis honorem conferebat, ne planè expers dignitatis ad se perveniret. Angla cerrè prudentissima foemina ea mediocritate fieri judicabat, ut sibi auctoritas STUARTÆ minus in posterum esset metuenda: ipsa quoque nulli procerum, quibus imperabat, voluit nubere, licet multi eum honorem sibi expeterent, ne dum alios extolleret, sibi fortè aliquid decederet, ut minus deinceps



æstimaretur. Quo verò impensius REGINA DARLÆUM initio amavit, hoc tristior insecuta est mutatio, & rerum facies, cum Rege per summum scelus interfecto, JACOBUS HEBURNUS in locum ejus succederet. Funestum enim illud conjugium STUARTÆ, & calamitosum evasit, frementibus universis, qui BOTHVELIO vel talem fortunam invidebant, vel propter suspicionem parricidii, cujus ille reus postulabatur, hominem acerbissimè oderant. Hinc contra miseros inita conjurationes, accensisq; civium animis, difficile non erat, fractos & contemptos bello persequi, carceri includere, & regno spoliatos, inq; exilium pulsos impedire, ne pristinum locum recuperare possent. Instituti nostri memores sumus, alias quoque infelix consilium de matrimonio captivæ cum NORFOLCIO exponeremus, quod Anglam graviter commovit, multumq; de voluntate ejus detraxit, & MARIÆ causam pessundedit.

#### IX.

Sed properamus aliò, & Aristotelem sapientissimum auctorem sequimur, qui explanavit non rationibus modò, sed exemplis etiam, quantum in eo positum sit, si reges moderatè se gerant, & mores ac vitam civibus accommodent. E quibus contrà manifestò perspicitur, eos populo exosos esse, qui secus faciunt, & optimo monitori non obtemperant. ANACHARSIS necatus fuit, quod Græcorum ritus probaret, & patrios abolere niteretur; qua ipsa de causa Scythæ regem aliquando sustulerunt, si Herodoto fidem habemus. ALEXANDER MACEDO militibus invisus fuit, cum se Persicis moribus dederet, & victos imitaretur. Quid PHILIPPUS potentissimus Hispaniarum Rex? quam facile fuit illi BELGAS imperio suo subjectos tenere? quam non potuit idem tamen, cum vehementer cuperet? propterea quod populum, qui



qui nec totam libertatem, nec totam servitutem patitur, Hispanico more tractaret, & à lemitate ista, quæ profuisset illi tamen, ingenio prorsus abhorreret. Nihil Pseudo-Demetrio fuit magis exitiosum, quam quod ipse moribus suis parefecit fraudes, & prodidit sanguinem, quo factum imperium, quod injuste acquisiverat, merito cum vita simul amisit. At MARIAM neget aliquis in odium incurrisse, cum istas imperandi & vivendi rationes, quas didicerat in Gallia, in patrio regno adhiberet, neque eos faceret missas, quemadmodum nos quidem de illa accepimus. Sane in eo Gallia non parum detrimenti rebus ejus attulit, neque mihi dubium videtur, si in Scotia fuisset educata, quod multo forte commodius, & sapientius regni habenas tractasset, & suæ salutis consulisset. Illic enim talis reipublicæ facies, quæ indicat, regibus permulta licere, quæ in Scotiæ regno, quod legitimum est, ne utiqvam tolerantur; illic omnia ad luxum & levitatem composita, hic durior & adstrictior vitæ consuetudo, quæ si minus quandoque fuit servata, dubium nē est, quin ægre tulerint homines, & minus honorifice de regina sua sentire cœperint?

X.

Huc accessit denique adversa semper fortuna, quæ omni plane auctoritate reginam exuit, & adversæ factioni rem confectam dedit. Nam sicuti prosperis rebus certatim advolant homines, & obsequium studiumque suum declarant maxime, sic adversis repente concidunt animis, neque eam fidem præstare solent principi, ut parem cum eo fortunam subeant, & in obsequio permaneant; quæ prudenter à Tacito sunt olim animadversa, at infelicitè sanè re ipsa nonnullis comperta. OSMANES & IBRAIMUS, Turcarum Imperatores, jacturam vitæ & dignitatis fecerunt, cum quædam minus ex animi sententia illis succe-

B 3

derent,



derent, & militum studia immutarentur, & illi sprete vulgo & contempti haberentur. Medicei diu aliquando exularunt urbe, in qua principatum tenuerant ante, quod omnia illorum coepta & consilia, quæ eò dirigebantur ut dignitatem suam recuperarent, infelicem haberent eventum, & pessime illis cederent, donec fortuna exulum causæ favente, id consecuti sunt postremo, quod tam sollicite quæsierant hactenus. Multum annixa est MARIA, ut se tueretur, & rempublicam teneret, antequam fuit pulsa, & cum regno cessisset, sedulo operam dedit, ut restitueretur, subditisque suis imperaret; sed omnia illius miseræ consilia fortuna turbavit, ut non saluti, sed exitio ejus cederent, & luctuosum plane exitum haberent. Quid ego nunc de adversis præliis, de carcere ejus, de conatibus hominum frustra susceptis illorum, qui fortunam ejus instaurare cupiebant, & de cæteris porro commemorarem, quæ & copiose & accurate ab aliis explicata sunt, ut dicere de illis jam supersedere possim? Videlicet ode- rant pariter cives, & contemnebant, facileque cavebant hostes, ne resurgere, & sibi nocere posset.

## XI.

Nam quid putatis Morarium, & cæteros capitales reginæ hostes, siquidem verum est, quod optimi & prudentissimi auctores perscripserunt, fecisse aliud, nisi ut vitia, quæ in illa minima erant augerent, quæ magna vulgo putabantur; atrociora redderent, invidiæque tempestatem inde excitarent? quod quidem pulchre præstitit Moravius, cum apud reginam Anglorum causam contra illam diceret, & sororem parricidii facerent ream. Tum apud populum nihil omiserunt, quod modo res suas stabiliret, & civium gratiam alteri demeret planè; flagitiorum immanitatem, & maritum crudelissimè interfectum, studi-  
umque



umque priscae superstitionis coram iratis ac vehementer exacerbatis commemorarunt saepe, vitam corruptam, mores improbos & pollutos, libidinem una & tyrannidem exposuerunt, scelus conjugii, periculumque misero puero intentatum, non sine aliquo merus sensu exaggerarunt, & plurimorum animos non mediocriter commoverunt. Hinc adversariorum opes firmæ, reginæ factio infirma, quæ tanto minori cum periculo & negotio compesci potuit, quo magis adversam continuo sensu fortunam, quovè minus feliciter ea, quæ tentabantur, contra elatos hostes successerunt.

## XII.

Hæc habuimus de Scotorum regina, & causis invidiæ, contemptus, ac odii, quibus illa flagravir, & regni potestatem denique amisit. Quæ nollemus ita intelligi, quasi & nos in ea sententia simus, nihil eorum, quæ crimini data fuerunt STUARTÆ, in dubium vocari: nam & alii vehementer dubitarunt, & nos dubitamus non immerito, quibus consilium fuit, ea modo explicare, quæ causam reginæ gravarunt imprimis, spretamque & odiosam eam effecerunt, sive jure illud, sive præter meritum interdum, hostiumque dolis id factum fuit. Qui rem penitus cognoscere volunt, horum instituto tres Auctores intervniunt præcipue, GEORGIUS BUCHANANUS, in historia Scotica; quem per omnia fere secutus est JACOBUS AUGUSTUS THUANUS, vir summus, & historia sui temporis edita per celeberrimam; multum in eo conducit quoque liber GULIELMI CAMDENI, de vita ELISABETHÆ. Reliqui aut ab his desumserunt, aut minus accurate de hoc quidem capite scripserunt, ut parum iis, aut nihil fere tribuendum



247 5178  
dum esse videatur. De parricidio regis CAMBDENUS  
longè diversa protulit ab his, quæ à BUCHANANO pro-  
dita sunt, quæ sicuti cætera, peritis harum rerum, & pru-  
dentibus integra servamus, eorundemque sententiam  
& audire, & amplecti parati  
sumus.





Q.K. 376, 16.

Amiff  
ODIUM  
MARI  
SCOT

*In congr*

M. CASPA

CORNELI

*D. XIII*

Imprimebat Ma

ogr.

atis

IM

TÆ,

M

RAUN,

ERLIS,

ogr.

II n  
5178

